

quasi materialiter, seu realiter non solum similis, sed idem in natura sit, et consubstantialis. Et tollendæ sunt duæ æquivocationes, quibus totum hoc clarificatur. Prima, in illo termino esse identice simile non formaliter. Secunda, in illo termino ex vi processionis. Et prima æquivocatio tollitur per hoc quod non negamus Spiritum sanctum formaliter esse Deum, et formalissime consubstantialem Patri, et Filio formalitate primi modi per se, non formaliter formalitate quarti modi per se. Nam primus modus per se solum explicat perseitatem connexionis essentialis, et prædicationis; at vero quartus modus per se non explicat perseitatem connexionis essentialis inter prædicata, sed perseitatem operationis erga formalem terminum operatum. Cum enim forma sit principium constituendi, et operandi, quatenus constituit, fundat intrinsecam connexionem prædicatorum in illa natura constituta concurrentium; quatenus operatur, seu quatenus est principium quo operationis, fundat conducentiam, seu proportionem, et coaptationem per se, et formalem cum termino sibi formaliter correspondente. Et iste est quartus modus per se, qui non est modus prædicationis et connexionis, sed operationis et agentis: sicut calor est forma constituens calidum, et in constituendo fundat connexionem omnium prædicatorum sibi essentialium, et in hac linea constituit primum modum per se; et sic dicitur per se de calore quod sit qualitas, quod sit passio, vel patibilis qualitas, quod sit sensibilis, etc. Est etiam calor forma operans. Sed quid per se operatur calor? Per se calefacit, quia ad calefaciendum exprimit formalem proportionem, et conducentiam: si autem dicatur: Calidum movetur, vel calidum ædificat, non explicatur persei-

tas operationis. Sic ergo Spiritus sanctus procedit ut similis suo principio, et ut consubstantialis ei in primo modo per se, quia producit Persona quæ essentialiter est Deus, sed non formaliter in quarto modo per se, quia formalis ratio, et modus quo procedit non est assimilativus in natura sub formali conceptu naturæ, ita quod formalis ratio ad quam terminatur, sit id quo constituitur natura in Deo, et ut sit similis suo principio, sicut in Filio, ratio verbi ex ipso modo procedendi est expressivum, et assimilativum suo principio intelligibili. Et si illud principium intelligibile in ratione intelligibilis sit substantia, et expressio ipsa sit perfecta, et denudata ab omni potentialitate, ex vi suæ assimilationis est substantialis similitudo, et propagatio naturæ; cum tamen impulsio, et spiratio solum sit impulsiva intra Deum in genere volibili, quod vero sit substantia, non habet ex eo quod genus volibile in Deo substantia sit, et ipsa processio sit impulsus perfectissimus, quia non procedit impulsus ad assimilandum, et exprimendum esse volibile, sed ad ponderandum, et inclinandum in illud; et ita si est substantia, id habet quia intra Deum est in quo nullum est accidens, non ex vi expressionis, et actionis suæ, ut volitiva est. Et ad hoc deservit exemplum supra allatum ex D. Thoma de duobus hominibus procedentibus ab eodem homine, uno per virtutem seminalem, et partum naturalem, alio per virtutem artificiosam formandi ex terra, vel ex costa ipsius hominis, aut ex sanguine suis manibus alium hominem, iste non esset filius, et primus esset filius, licet uterque esset similis suo principio in humana natura similitudine in primo modo per se, sed unus etiam quarto modo per se esset similis, et filius; alter non.

XXII. Secunda æquivocatio est in illo termino ex vi processionis: potest enim ly ex vi processionis significare vim, seu virtutem solum ut efficientem, seu activam respectu actionis, et termini procedentis, vel potest significare vim, aut virtutem productivam secundum id quod formalis rationis, et conducentiæ, seu proportionis est in ordine ad speciem actus, et termini, et ad formalem rationem sub qua attingitur, ita quod non solum explicetur in ipsa productione, et vi productiva vis agens in exercitio, et ut respicit existentiam in termino, seu esse, quod ad exercitium causæ efficientis spectat, sed explicetur ipsa formalis ratio specifica, et ipsa species, seu specificatio termini in re procedente, quod pertinet ad quartum modum per se, ut cum dicitur calidum calefacit, ædificator ædificat, ubi designatur, et vis activa, et formalis proportio, seu ratio, et conducentia ad talem terminum. Igitur cum dicitur Spiritum sanctum ex vi processionis non procedere ut similem, ly ex vi processionis, non denotat principium, seu virtutem ut activam solum: sic enim ex activa illa virtute spirandi procedit Spiritus secundum omnem consubstantialitatem, quæ sibi communicatur in re, et identice; et sic procedit Spiritus sanctus et accipit ex tali virtute activa similitudinem, imo et identitatem, sed ly ex vi processionis denotare debet formalem rationem, seu conducentiam, et coaptationem formæ operantis ad terminum formalem. Omnis autem ratio formalis, quæ in illa processione considerari potest, est quod sit divina, et quod sit spirativa. Ex eo quod sit divina et intra Deum non habet processio illa originare, et derivare ex se terminum, neque discernere propriam, et formalem rationem unius processionis ab alia,

ut recte dixit S. Thomas in hac quæstione, art. iv ad i. Ratio est quia processio ut divina non respicit terminum procedentem, ut sibi oppositum, et a se distinctum, sed solum respicit naturam divinam quam communicat, et in cujus unitate reddit unum substantialiter utrumque extremum: si enim processio ut divina originaret, et produceret, respiceret divinitatem ut distinctam a principio, a quo procedit, quod omnino implicat, cum in ipsa divina natura, et in ratione ipsa divinitatis nulla possit esse distinctio, bene tamen communicatio. Atque ita cum in processionibus illis duo reperiantur, scilicet et quod sit productio, seu originationis termini distincti, et quod sit divina, seu intra Deum, pro hac secunda parte processio ut divina solum respicit divinum, seu divinitatem ut rationem formalem; divinitas autem, seu natura divina potest quidem esse communicata per processionem, sed non producta, neque se habere ut terminus procedens oppositus, et distinctus, quia in divina natura sub conceptu divinitatis non explicatur oppositio relativa, et distinctio ad principium originans. Ex hoc ergo quod processio consideretur ut divina, non explicatur formalitas ipsius processionis respectu termini producti, et distincti, sed respectu rei communicatæ, et identificatæ. Ex hac ergo parte non discernitur quæ sit formalis ratio talis processionis, et quid sit ex vi processionis in quarto modo per se, quia perseitas operationis, et formalis ejus ratio solum explicatur per ordinem ad terminum procedentem, et distinctum ab operante, non penes rem communicatam, quia perseitas quarti modi est conducentia ad terminum producendum, cui ex sua formali ratione talem rem communicat. Neque ex hoc quod illa pro-



cessio sit divina, explicatur propria ratio cujuslibet processionis, quia esse divinam est commune omnibus illis processionibus : ergo in vi divinæ non explicatur propria ratio formalis, et quartus modus per se talis operationis; quia quartus modus per se fundatur in ipsa ratione formali specifica operantis, et termini procedentis, non in ratione communi, sicut cum dico: Calidum calefacit ibi explicatur formalis, et specifica ratio operationis caloris; et sic explicatur quartus modus per se. Si autem dicam rationem communem, v. g. calidum agit, seu causat; calidum ut substantia calefacit, non dico formalem rationem quarti modi per se : similiter ergo si solum dico : Processio ut divina producit terminum similem, non dico formalitatem quarti modi per se, sed debeo reduplicare propriam, et specificam rationem, in qua una processio distinguitur ab alia, et videre an secundum illam propriam rationem procedat aliquid ut simile, et hoc est ex vi processionis. Sic ergo formalitas processionis in vi processionis sumi debet, non ex eo quod divina præcise, sed ex eo quod talis, v. g. spirativa, vel intellectiva, et sub hac formalitate ut spirativa, clarum est quod non procedit formaliter ut simile, sed ut spiratum et amatum.

XXIII. Quod si dicas : Nam processionem divinam, etiam secundum suas particulares, et specificas rationes consideratæ, v. g. ut spirativa, vel intellectiva non possunt tendere ad suum terminum formalem præscindendo ab hoc quod est esse divinam, sed id includendo, si quidem non producunt suum terminum formalem, v. g. impulsus infinitum aut verbum ut perfectissime, et in actu puro repræsentans, nisi consideretur illa processio, ut in actu puro sive intelligibili, sive volibili una-

quæque in sua linea : ergo in ipsa formali, et specifica ratione, et in vi processionis ut in quarto modo per se, includitur hoc quod est processionem illam esse divinam, et id quod habet in quantum divina, respondetur quod processionem istam in suis particularibus rationibus, et in sua propria linea præsupponunt rationem divini, et actus puri, sed tamquam rationem communem non ut formalem specificam : species enim semper supponit genus, et ratio particularis, communem. Unde dicimus quod processionem istam secundum suas particulares, et specificas rationes non præscindunt ab hoc quod est esse divinas, et a ratione actus puri, distinguo; non præscindunt ab illa, ut a ratione præsupposita, et communi, transeat; ut a ratione formali explicativa ejus quod proprium est in sua linea, et ordine, nego. Hæc enim ratio formalis non est sola ratio actus puri, et sola ratio processionis divinæ ut divina, sed divinæ ut contractæ, et determinatæ ad talem lineam, scilicet ut divinæ intellectivæ, vel ut divinæ spirativæ, etc. In his processionibus sic consideratis sub hac specifica, et formali determinatione consideratur differentia hæc, quod divina, ut intellectiva ex sua formali, et specifica ratione ultima, est assimilativa, et cum ex ratione divina depuretur illa linea intelligibilis ab omni potentialitate est assimilativa summo modo, et in ipsa substantia, quia intelligibilitas pura substantia est. Processio autem divina ut spirativa, ex sua ultima, et specifica ratione formali non est assimilativa, sed inclinativa, et ponderosa, et ex ratione divina purificatur ab omni potentialitate, et redditur infinite inclinans, et impellens, sed non assimilans; et ideo generatio non est, est tamen identificativa, et in unum

communicans cum divina natura, quia infinita, et quia intra Deum, ut dictum est.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIV. Præcipuæ objectiones contra istum modum distinguendi processionem Spiritus sancti a generatione ad duplex caput reduci possunt.

Primum est, ostendendo quod Spiritus sanctus etiam ex vi processionis suæ, et formaliter in quarto modo per se est processio similitudinis in substantia.

Secundum, quod si Spiritus sanctus ex vi suæ processionis non procedit ut simile formaliter, sed solum identice, etiam Verbum solum hoc modo procedit, ut simile, atque adeo si hoc non obstante processio Verbi est generatio, etiam processio Spiritus sancti generatio erit.

Primum urgetur sic : Spiritus sanctus quidquid accipit, et communicatur sibi in processione a Patre, et Filio, communicatur sibi ex vi processionis, sed communicatur sibi a Patre, et Filio quod sit vivens et substantia ipsa intellectualis divina, et quod sit tertia Persona Trinitatis : ergo ex vi processionis suæ procedit ut similis, et in similitudinem naturæ, eo modo quo id requiritur ad definitionem, et rationem generationis, in qua philosophus non posuit illam particulam, ex vi processionis, sed superaddidit a Cajetano et aliis Thomistis ad evitandas difficultates, cum tamen id quod non ponitur in definitione generationis pro creaturis, non debeat addi pro generatione divina, si quidem dari in Deo propriam, et formalem rationem generationis non potest colligi, nisi accommodando illi generationem, quæ in creaturis reperitur, non addendo

novam particulam, sed removendo imperfectiones. Major hujus argumenti probatur, tum quia id quod Spiritus sanctus accipit procedendo a Patre, et Filio, non ex accidenti accipit, sed ex virtute propria, et per se talis processionis; tum quia omne quod procedit ab alio, habet ex vi suæ productionis id quo constituitur formaliter in ratione talis effectus, seu talis termini procedentis : ergo id quo Spiritus sanctus constituitur in ratione talis Personæ, et naturæ quam habet in quantum Spiritus sancti ex vi processionis suæ habet, et in vi alicujus principii formaliter proportionati, et conducentis ad productionem talis termini, qui est Spiritus sanctus. Minor vero probatur, tum quia Spiritus sanctus formaliter in quantum talis, et in vi suæ processionis accipit id quo constituitur in ratione Spiritus sancti, seu in ratione termini formalis talis processionis, id autem quo constituitur in ratione Spiritus sancti sive in ratione tertiæ Personæ, sive in ratione naturæ est divina substantia, et Deus ipse in quantum spiratus : ergo etiam principium formale, et per se in quarto modo talis processionis est deitas ut spirans : ergo ex vi processionis suæ formaliter, et in quarto modo, per se procedit ut Deus spiratus, sed Deus spiratus formalissime ut talis, est similis deitati ut spiranti : ergo per se in quarto modo, et ex vi formæ, seu formalis principii sui procedit ut similis suo principio, et ut genitus, ita quod esse genitum coincidat in hac processione cum esse spirato, quia procedit ut amor increatus ex vi suæ formalis processionis, et non ex accidenti : ergo procedit ex vi talis processionis ut similis in natura ipsa deitatis, quia sufficit esse similem in ratione deitatis spiratæ. Tum etiam, quia Spiritus sanctus ex vi formalissima suæ



processionis procedit ut persona subsistens secundum characteristicam proprietatem tertiæ Personæ : ergo procedit ut similis in natura. Antecedens probatur, quia procedit formalissime, ut Spiritus sanctus : ergo ut relative oppositus principio spiranti : ergo ut incommunicabilis : ergo ut Persona divina spirata : id enim pertinet ad characterem illius tertiæ Personæ. Consequentia vero probatur, quia de ratione formalissima personæ est quod sit rationalis naturæ individua substantia : ergo quod formaliter procedit ut Persona divina procedit formaliter ut persona intellectualis substantiæ : ergo ut similis Personæ originanti se, quæ in eadem natura est Persona subsistens. Et hic fundantur consequentiæ, quæ in hac parte fieri solent, ut quod Spiritus sanctus procedit formaliter ut Deus, si quidem non procedit ut creatura : ergo ut similis, quia Deus formaliter est similis Deo. Nec obstat quod procedat ut Deus spiratus, non ut natus, quia esse spiratum nullo modo diminuit de illius similitudine, si quidem nihil minuit de deitate.

Respondetur ad argumentum negando majorem, et similiter minorem ; loquendo de communicatione, et processione formaliter formalitate quarti modi per se, seu ex vi processionis, ad hoc enim ponitur ista particula, ut ly ex vi processionis non sit addita definitioni, sed subintellecta, tamquam ejus explicatio necessaria, quia nullus potest negare quod definitio generationis procedit de eo quod est ex alio in similitudinem naturæ formaliter in quarto modo per se.

XXV. Ad primam probationem majoris dicitur, quod totum quod accipit Spiritus sanctus non accipit ex accidenti, id est, ex aliqua virtute accidentali, seu accidentaliter conveniente suo principio, neque

accipit illud tamquam sibi accidentale, et non essentialiter conveniens in primo modo per se, sed accipit illud ut identice, et concomitanter ; et ita si ly ex accidenti intelligatur pro eo quod est identice tantum, et concomitanter, sic concedendum est quod multa ex accidenti accipit, et non per se in quarto modo. Si vero ly ex accidenti intelligatur ex aliquo accidentali, et extraneo, sic negatur quod ex accidenti aliquid accipiat. Et quia ly ex accidenti hoc secundum videtur sonare, et oportet malas species verborum evitare, simpliciter concedi debet, quod nihil accipit Spiritus sanctus ex accidenti. Ad consequentiam : ergo per se, et virtute propria accipit, distinguo ; per se perseitate quarti modi nego ; per se in primo modo, concedo, quia id quod accipit essentialiter est sibi, et intrinsecum, et simile Deo, imo unum cum Deo, non tamen assimilativo modo, neque sub ratione formali assimilandi, et in quarto modo per se. Alias probaretur, quod Spiritus sanctus vel Filius procedit formaliter in quarto modo per se, ut immensus, vel ut justus, aut misericors, et generaliter sub omni attributo procederet formaliter, et per se, quia nullum habet ex accidenti, sed virtute propria, sed non omnia accipit in quarto modo per se, quia non omnia explicant formalem rationem sub qua procedit. Et sic etiam dicitur ad secundam probationem majoris, quod id quod formaliter constituitur Spiritus sanctus in ratione termini formalis, et specifici hujus processionis habetur ex vi processionis formalis, et in quarto modo per se, non tamen omne id quo constituitur Spiritus sanctus et quilibet terminus procedens in sua essentiali natura, et essentialibus prædicatis habet ex vi processionis formaliter in quarto modo per se : nec enim

omne quod dat alicui termino naturam, et essentialia prædicata, et quidquid ei convenit in primo modo per se, dat illud formaliter in quarto modo per se, sed ad formalitatem quarti modi per se requiritur convenientia, seu proportio, et specificatio formalis inter rationem producendi, et terminum productum, si enim homo produceretur ex terra, vel ex costa, aut carne ipsius hominis procederet in quarto modo, ut homo arte factus, non ut homo natus aut filius ; et modo in transubstantiatione attingitur corpus Christi, ut conversum, et transubstantiatum, non ut homo, aut animal in quarto modo per se, et Deus cum creat hominem in quarto modo, formaliter attingit totam rationem entis, et materialiter rationem hominis, licet in omnibus istis exemplis, et aliis similibus causæ æquivocæ, per processionem illam conferatur termino procedenti sua natura, et prædicata essentialia, sed non formaliter in quarto modo per se, id est, vi rationis ex formalis sub qua procedit ille terminus. Sic Spiritus sanctus ex vi suæ processionis in quarto modo per se accipit quod sit Deus spiratus, non quod sit natus, licet in Deo spirato accipiat per talem processionem totam naturam, et similitudinem Dei identice.

XXVI. Ad primam probationem minoris concedimus quod ex vi processionis accipit Spiritus sanctus id quo constituitur in ratione Spiritus sancti et in ratione formalis termini talis processionis, et similiter quod accipit ex vi formalis processionis quod sit Deus spiratus : id enim est quo constituitur Spiritus sanctus in ratione formalis talis termini. Similiter concedimus quod procedit ex deitate ut spirante tamquam ex formali principio, et in quarto modo per se. Cum autem di-

citur quod Deus spiratus est formalissime similis Deo spiranti, distinguo : formaliter similis in primo modo per se, id est, in suis prædicatis essentialibus, concedo ; formaliter similis in quarto modo per se, id est, quod procedat modo assimilativo, nego. Ad rationem enim formalis Dei spirantis, et spirati solum formaliter conducit quod sit deitas, ut faciens inclinationem, et pondus, quod vero sit similis in natura, non magis conducit, quam quod sit justus vel misericors, aut immensus, licet totum hoc sit identice in re, et essentialiter. Et similiter licet procedat ut amor increatus, non procedit formaliter ut similis in natura, et in deitate spirata, quia ut sit formaliter similis in quarto modo per se, non sufficit habere in se similitudinem naturæ, etiam essentialiter, et in primo modo per se, sed requiritur quod assimilativo modo eam habeat, et ex ipsa formali conducentia operationis ad assimilandum, ut in exemplo de homine producto seminaliter, aut artificiose, vel per creationem, explicatum est.

XXVII. Ad secundam probationem dicitur distinguendo antecedens. Ex vi processionis procedit ut persona subsistens spirata, concedo ; ut nata et propagata, nego : ergo ut similis distinguo consequens, ut similis in primo modo per se, et ut essentialiter tale, transeat ; ut similis in quarto modo per se, et ex vi conducentiæ formalis in operatione ad talem terminum, nego. Cum vero dicitur quod de ratione formali personæ est quod sit similis alteri personæ in eadem natura subsistenti, dico quod id est de ratione personæ in primo modo per se, non tamen est de ratione personæ ut in quarto modo per se sic procedat sicut constituitur, seu sub ipsa ratione formali similitudinis procedat, ita quod



assimilativo modo procedat, ut toties instatum est in exemplo allato a D. Thoma: Si homo produceret manibus suis alterum hominem etiam si unum produceret ex carne sua, talis homo essentialiter, et in primo modo per se esset persona, et haberet naturam rationalem similem suo producenti, nec esset filius, quia formaliter in quarto modo non procederet in similitudinem ut persona nata, sed ut arte facta, sic Spiritus procedit ut Persona spirata, id est, secundum inclinationem amoris, non ut nata, et similis ex vi modi procedendi. Adde quod persona, et suppositum non dicunt formalem rationem procedendi in termino producto, sed id quod se habet ut quod; et sic ex eo quod procedat ex vi processionis aliqua persona, non sumitur formalis ratio specifica, et quarti modi per se: est enim commune omni termino procedenti in genere substantiæ, quod procedat ut subsistens ex parte termini procedentis ut quod; et sic etiam Spiritus sanctus procedit ut persona subsistens tamquam terminus procedens ut quod. Cæterum formalis ratio processionis in quarto modo per se, non sumitur ex illo quod se habet ut quod, sed ex ipsa formali ratione sub qua aliquid est terminus actionis; et sic ad ipsam formam, seu formalem rationem termini, et ad id quo constituitur ut procedens debet attendi, ut per illud reguletur processio an sit in quarto modo per se, an non; ipsa vero persona seu subsistens ut quod, non est formalis ratio termini. Et sic licet Spiritus sanctus procedat, non tamen ly ut replicat formalem rationem ut quo, sed ipsum terminum ut quod.

XXVIII. Ad illam vero consequentiam: Procedit ut Deus: ergo ut similis, respondetur distinguendo antecedens; procedit ut Deus spi-

ratus, seu ut quid divinum per modum impulsus, concedo; ut Deus natus, nego. Ad consequentiam: ergo procedit ut similis, distinguo; ut similis in quarto modo per se, quod est procedere modo assimilativo, nego. Unde non dicimus quod procedit ut creatura, sed neque ut Deus absolute, sed ut Deus spiratus, seu ut quid spiratum divinum, quia Deus sub ratione deitatis non est terminus productionis, licet sit res communicata per processionem; procedit tamen hoc spiratum, et impulsus ut Deus in re, et identice, non vero ut formaliter in quarto modo per se, sed ut Deus in primo modo per se, sicut procederet homo ut essentialiter homo, et in primo modo per se, etiam si fieret per manus alterius hominis, sed non ut similis in quarto modo per se. Et in eucharistia, corpus Christi ponitur ex vi verborum ut corpus, ut animatum vero per concomitantiam, licet in re, et identice animatum sit essentialiter. Et cum dicitur quod esse spiratum non diminuit de similitudine, distinguo; non diminuit de illa in primo modo per se, concedo; in quarto modo per se, nego: procedere enim, et spiratum, est non terminare formaliter processionem sub ratione similitudinis et expressionis naturæ, sed sub ratione inclinationis. Et licet inclinatio sit natura ipsa in re, et identice, non tamen sub conceptu naturæ, sed sub conceptu inclinationis formaliter terminat, et procedit: inclinatio autem de se sequitur ad naturam.

XXIX. Secundo arguitur ex secundo capite, quia Verbum non magis formaliter est Deus, quam Spiritus sanctus, nec magis habet procedere ut Deus ex vi suæ processionis, quam Spiritus sanctus aut ut similis: ergo sicut est generatio processio Verbi, ita erit processio

Spiritus sancti generatio. Antecedens quoad primam partem constat, quia Spiritus non minus, nec alio modo est Deus, quam Verbum, cum in Trinitate nulla sit inæqualitas, sed summa unitas: ergo tam formaliter est Deus Spiritus sanctus sicut Filius. Quoad secundam partem probatur, tum ex adductis præcedentis articuli, ubi adduximus argumenta ad probandum Verbum divinum non procedere ex vi suæ processionis, ut simile in substantia, nisi quatenus illa processio est divina, et in hoc parificari cum processione Spiritus sancti. Nam processio Verbi ut abstrahit a creato, et increato est quidem similitudo intentionalis, et repræsentativa objecti, sed non propagativa, et substantialis, et in eadem natura, et similiter amor est impulsus, non substantia. Processio autem Verbi ut increata, et divina est processio in similitudine substantiæ ex vi processionis, non quatenus intellectiva ut sic, sed quatenus talis, id est, divina: similiter impulsus non quatenus amor ut sic, sed quatenus divinus ex vi talis processionis procedit, non ut accidens, sed ut ipsum velle, quod est esse substantiale Dei. Nec D. Thomas in hoc articulo secundo alia ratione probavit Verbum procedere ut simile in substantia, nisi quia procedit secundum intelligere et intelligere est esse Dei, sed non minus velle est esse Dei substantiale quam intelligere. Ergo eadem ratione concludetur quod Spiritus sanctus ex vi suæ processionis procedit ut similis in substantia.

XXX. Confirmatur quidquid per se requiritur ex parte principii in actu primo ad aliquem terminum producendum, requiritur per se in quarto modo, quia necessario ex parte termini producti respondere debet aliquid tali actui primo ex parte principii se tenenti, sed deitas est

forma per se constituens potentiam generativam fœcundam ad generandum, et in ratione potentiæ notionalis, et similiter potentiam spirativam: ergo terminus qui per utramque potentiam emanat, per se quarto modo emanat Deus, et ut similis, quia ex vi deitatis ut constituentis per se utramque potentiam emanat. Minor probatur, quia potentia notionalis dicit virtutem producendi, et emittendi Personas: ergo non supponit pro relatione, sed pro deitate, licet relationem connotet, quia relatio, ut relatio, non dicit virtutem, sed purum respectum. Et sicut deitas est virtus potentiæ notionalis, ita Verbum et Spiritus sanctus sunt ipsa deitas, ut contracta tali relatione, scilicet filiationis vel spirationis: ergo Spiritus sanctus ex vi suæ processionis, et characteristicæ proprietatis procedit ut Deus cum tali relatione: ergo ut similis.

XXXI. Confirmatur secundo, quia non minus pertinet ad essentiam, et naturam divinam intellectio, quam volitio: utraque enim est ipsum esse Dei, nec minus intelligere est esse Dei, quam velle, ut multis locis docet S. Thomas præsertim I p. qu. XIX, art. I et qu. XXVII, art. III et IV contra gentes. cap. XIX, et alibi sæpe: ergo quod procedit ex vi suæ processionis, ut amor et ut velle, procedit ex vi suæ processionis, ut essentia et natura divina: ergo ut similis suo principio. Ac denique, quia amor procedit ex similitudine, et similitudo est causa amoris, ut docet S. Thomas I-2, qu. XXVII, art. III, ergo quod procedit per amorem formaliter procedit ex similitudine, et in similitudinem.

Respondetur ex dictis distinguendo antecedens, non minus formaliter Filius est Deus, quam Spiritus; non minus formaliter in primo modo per se, concedo; in quarto modo